



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

9. Responsio ad quintum, & sextum argumentum. Vbi confirmantur supradicta, & explanatur, quod quando inter iudicem sæcularem, & Ecclesiasticum lis adest, ad quem spectet iurisdictio, tunc definitio ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

# Nuncior. Apost. & Episcop. Ref. IX. & c. 449

## RESOL. IX.

Responso ad quintum & sextum argumentum, ubi confirmantur supradicta, & explanatur, quod quando inter iudicem secularem & Ecclesiasticum lis adest, ad quem spectet iurisdictio, tunc a iudice ad iudicem Ecclesiasticum spectat. Ex part. 6. tract. 2. Resolut. etiam 9.

**§. 1.** Ad quintum argumentum: Quod esset absurdum Episcopos esse iudices in delictis suorum famulorum. Respondeat mihi quæso Moscosus, quare hoc non est absurdum in nostris Inquisitoribus Hispaniæ, qui secundum ipsum in n. 75. ex privilegio Regis iudicant de delictis suorum famulorum, & erit absurdum in Episcopis ex privilegio Papæ inquisitores, quod recte & iuste iudicabunt de delictis famulorum, quod non potest facere privilegium Papæ erga Episcopos, sunt meræ nugæ: neque lex Vlpiani à Moscoso adducta loquitur in casu nostro, quando iudex ex privilegio Superioris causa iusta existente exercet iudicium circa suos familiares, ut Imperator Martianus voluit exercere in suis Cubicularios l. 3. C. de Præpos. Sacr. Cubicul. lib. 12. & Imperator Zeno in Silentiatios ex lib. 4. C. de silent. eod. lib.

**2.** Ad sextum. De Cedula Ferdinandi Regis asserenti familiares Laicos Prælatorum non gaudere privilegio fori. Respondeo in his materiis magis standum esse ordinationibus Pontificiis quam Regiis Et si Moscosus in defensionem suæ sententiæ n. 46. sic argumentatur. [ Reyes Christianissimos, que merecieron el nombre de Catholicos hijos verdaderos de la Yglesia, y sumamente attentos à exaltarla sino eluivieran muy ciertos de que los señores familiares de los Obispos eran de su jurisdiccion, no ordenaran en la cedula referida à el Abad de Valladolid, que desistiera de favorecerlos, y alçasse las censuras, con que no havia podido inhibir a los Alcaldes. ] Ego verò in contrarium sic argumentor. Vbi n. VII. qui sedet in Cathedra Petri, qui à Christo Domino clauem scientiæ recipit, qui auctoritatem habet interpretandi Canones & Concilia si non esset certus, quod familiares Laici Episcoporum essent de sua iurisdictione non præciperet sub pena excommunicationis, quod familia Laica Archiepiscopi Rhodiensis gauderet privilegio fori, nec id etiam declarasset Paulus V. Esto modo penes te iudicium, Amice Lector, si meum, an Moscosi argumentum præualere debeat, & cui credendum sit circa intelligentiam Canonum, & Concilij Tridentini, Cæsari, an Pontifici? Non est igitur recedendum à nostra sententiâ, pro qua facit communis opinio Doctorum asserentium, quod quando inter iudicem secularem & Ecclesiasticum lis adest, ad quem spectet iurisdictio, tunc definitio non ad iudicem secularem, sed ad Ecclesiasticum spectat; maior enim minor præfertur. Ita docet Felinus, qui ait id memoria perpetuo tenendum in c. pastoralis, n. 4. de rescript. lason in l. quacumque, n. 19. ff. si quis in ius vocat. Ripa in c. decernimus, n. 4. de iudic. & alij, quos citat Sperellus de off. 8. n. 23. quibus adde Layman lib. 4. tract. 9. cap. 7. nu. 6. Aurelium Augustinum in consil. penes Barbofam, de iure Ecclesiast. lib. 1. c. 39. §. 4. num. 13. Boffium tit. de foro comper. n. 155. Narbonam in recopilat. l. 20. gloss. 23. num. 17. Paramum in respons. 1. pro iurisdictione Sancti Officij, cap. 4. num. 1. Sanchez in opusc. tom. 1. lib. 2. cap. 4. dnb. 52. nu. 2.

Tom. IX.

& dub. 55. num. 31. & alios, quos ego ipse citavi in part. 4. tract. 1. resol. 64. Ergo, & c.

Quæ hic est sup. in tr. 2. Ref. 297. & in aliis eius annor.

## RESOL. X.

Responso ad septimum argumentum, ubi confirmantur supradicta in præteritis Resolutionibus, & concluditur familiam laicam Nunciij Apostolici gaudere privilegio fori, sicut gaudet familia laica Episcopi. Et cursum explanatur, quod Palatia DD. Cardinalium ubique debent gaudere Immunitate, & quod Episcopi habent privilegium, ut in suis aedibus celebretur singulis diebus, sed tamen dum Roma morantur, hoc privilegium uti non possunt. Ex part. 6. tr. 2. Ref. etiam 10.

**§. 1.** Et tandem ad septimum argumentum, Quod si familiares Laici Episcoporum gauderent privilegio fori; utique nimium diminueretur potestas secularis, & publicum bonum ex grauibus eorum delictis nimium laederetur; quia Ecclesiastici crimina remissius puniunt. Respondeo ad primum cum verbis Ioannis Dionysij Portocarreri in alleg. pro iurisd. S. Offic. n. 6. fol. 3. ubi ad similem querelam respondens sic ait. [ Gran falta se hezen a vn Virrey, à vn Corregidor cincuenta personas entra millares de millares que gouierñan. A todas las demas olvidan por molestar a estas. Solas ellas viuen escandalosamente, y turban la paz publica. En solas ellas estan de veer, que se disminuye la iurisdiccion real. ] Ita ille. Et ad id quod Moscosus asserit num. 27. & 28. ex Roberto Annaeo, & aliis, quod Ecclesiastici sunt negligentes, & iusto remissius Clericorum crimina vlciscuntur; & hoc tempore vno omnes hoc vitio laborate, quod in vindicandis hominum sui ordinis delictis adeo remissè & molliter se gerunt, ut potius tanquam conscij conuincant, quam ut iudices de damnatione, & seclerum poena agant. Videat, inquam, Moscosus; an hæc verba supradictorem Auditorum comprehendantur in illa regula apposita in principio indicis librorum prohibitorum à Sacro Concilio Tridentino in tit. de correctione librorum, lib. 2. ubi sic habetur. Item, que fama Ecclesiasticorum detrahunt, expurgentur. Sed hæc parum vrgent ad negandum supradictis familiis privilegium, quod ex iusta causa eis à Summo Pontifice concessum esse iam satis probatum est.

**2.** Verum pro Coronide huius disceptationis aduertendum est Moscosum num. 79. asserere in Regno Sicilia familiares Episcoporum non gaudere privilegio fori, nisi clericali caractere sint insigniti: quod ego ut Siculus constanter nego. Et idèd apponam hæc litteras Viceregias, in quibus apertè hoc patet.

## PHILIPPVS, & c.

Vice-Rex & Generalis Capitanensis in hoc Sicilia Regno, Spectabilibus & magnificis Capitanensibus Gubernatoribus, Iudicibus, & omnibus aliis officialibus Regni, & signanter Diocesis Agrigentine maiorum & minorum locorum presentibus & futuris; necnon quibusvis Vicarijs armorum, Capitaneis, Delegatis, Syndicatoribus, Commissarijs, Algicarijs, & Porterijs destinatis ac destinandis; cui vel quibus presentes presentata fuerim, fidel. Reg. dilectis salutem.

Siano stati supplicati dal tenore seguente.

Videlicet.

P P 3 ILLVSTR.